

The Digital *Viridarium consolationis* Project

Pars 4: De aliis virtutibus Caput 5: De amore Dei (14)

Gregorius:

Illi soli de deo loqui dulciter noverunt,
qui eum totis viribus dilexerunt.

O iugum sancti amoris, quam dulciter capis,
quam suaviter premis, quam gloriose illaqueas,
quam delectabiliter honeras, quam feliciter uris,
quam fortiter stringis, et quam patienter erudis!

Vnde Gregorius:

“Illi de Deo dulcissime loqui noverunt
qui Deum in corde suo dulcissime dilexerunt.”

Petrus Cantor, *Summa quae dicitur Verbum abbreviatum*
(*textus conflatus*), 1.6 (CCCM 196, M. Boutry ed., p.41,
ll.186-187).

O sancti amoris iugum, quam dulciter capis,
quam gloriose illaqueas, quam suaviter premis,
quam delectabiliter praemiis honeras, quam feliciter uris,
quam fortiter stringis, quam erudis sapienter!

Adamus de Persenia, *Epistolae*, 8 (PL 211, col.604A).

Liber qui uiscera repleuit dulcis in ore sicut mel factus est,
quia ipsi de omnipotente Domino sciunt suaviter loqui,
qui hunc didicerint in cordis sui uisceribus ueraciter amare.

Gregorius Magnus, *Homeliae in Hiezechielem prophetam*,
1.10.13 (CCSL 142, M. Adriaen ed., p.149, ll.182-185).